



Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput II. Illationes, & Objectiones

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)

clauda, uno pede carens, vel manca, privata unâ manu (& sic solvitur obiectio agentium beatitudinem consistere formaliter in sola visione, quippe consistit formaliter in sola possessione DEI. Solvitur inquam, ut paulò antè dicebam, quippe non consistit in sola possessione arida, & mere speculativa, sed in possessione, ut dulci, ut jucunda, ut delectabili, atque DEI ut veri, & etiam ut boni; ut talis autem non est sola visio, sed hæc ut conjuncta cum dicta fruitione. Præterquam quod si illa vox *possessionis* accipitur in sensu proprio, & obvio, significat falsum, si in metaphorico significat intuitivam cognitionem; Ergo significat id, de quo est quæstio, & assumitur, quod probandum est) Pergo. Sed non consistit in his operationibus respicientibus aliud à summo bono, quia nihil aliud esset par beando plenè, & totaliter illum, qui ad imaginem summi boni conditus est; quandoquidem ultra quodvis aliud, est assignabile aliquid, nempe DEUS ipse, ad cujus notitiam, & fruitionem aspiret homo, ut ibi sistat tanquam in centro, quin sit possibile aliud, ad cujus intuitionem, & fruitionem magis anhelet; ergo beatitudo nostra formalis debet consistere in operatione intellectus, & voluntatis, tendentibus immediatè, ac directè in summum bonum. Sed non in operatione intellectus, quæ sit mera apprehensio, nec in ea, quæ sit discursus, nequè in ea, quæ sit iudicium obscurum, & abstractivum, quia ultra hæc omnia est alia operatio possibilis, clara nimirum visio, quâ anima intueatur citra comprehensionem (quia hæc est impossibilis) quis, quantus, & qualis sit DEUS, ad quam operationem aspirare potest homo. Ergo debet consistere in iudicio claro, & intuitivo. Ergo in visione.

VIII. Rursus nec potest consistere beatitudo in operatione voluntatis, quæ sit odium, nolitio, spes, Desiderium, quia est alia dulcissima, & arctissime coniungens voluntatem cum DEO, nempe amor summi boni; sed non quilibet amor illius, quia viator etiam potest ardentissime amare DEUM: ergo debet esse specificus quidam amor summi boni; scilicet qui ex sua essentia proce-

dat ab intuitionem illius, & consequenter, qui specie distinguatur à charitate concepta in via, non utique ratione solius maioris intensiōis, siquidem *maius, & minus* non semper mutant speciem; non item ratione obiecti formalis, quippe idem est obiectum formale utriusque charitatis, sive amoris, sed ratione alligationis essentialis ad principia specie distincta. quandoquidem amor beatificus est essentialiter alligatus visioni intuitivæ DEI, amor autem vialis alligatur cognitioni abstractivæ, & obscuræ; ergo de primo ad ultimum beatitudo nostra formalis (idem de angelica respectivè, immo, & de divina) stat simul indivisibiliter in visione, & fruitione DEI, habentibus inter se ordinem dictum. Nequè dicas, minores beatos posse quoque aspirare ad beatitudinem majorum, siquidem ultra illorum beatitudinem est possibilis hæc alia major, quæ est maior possessio summi boni, & maior propinquitas cum centro: Etenim cum beatitudo formalis non consistat in indivisibili, sed capax sit intensiōis, & remissionis, ex eo quod ultra beatitudinem A sit possibilis alia major, non sequitur beatitudinem A non esse beatitudinem formalem, sicut non sequitur calorem ut quatuor non esse verè, & simpliciter calorem, ex eo quod possibilis sit calor ut sex, minores autem Beati non possunt aspirare ad beatitudinem maiorem in sensu composito, quod DEUS illis eamneget.

CAPUT II.

Illationes, & Objectiones.

IX. **H**Inc. Humanitas habens hypostaticam unionem cum Divina personalitate, est quidem beatissima formaliter, siquidem gaudet visione, ac fruitione dictis; sed non ut formaliter beata immediatè, ac formaliter ratione solius unionis, quia ex vi huius formaliter humanitas non possidet DEUM, sed possidetur à DEO; non enim humanitas Christi Domini v.g. assumpsit verbum, sed verbum assumpsit humanitatem, & quamquam ea humanitas ex vi formaliter unionis habeat DEUM, sicut etiam dici potest, quod homo iustus ex vi formaliter sanctitatis suppositâ Divinâ pro-

Origene
Hom. 14
Lucam
Tertul.
Carne
Christi.

Joan. 14.
 promissione habet DEUM, & est Beatissima Trinitatis palatium juxta illud. *Ad eum veniemus, &c.* Verum hoc genus habendi DEUM non est per se formaliter, sed arguitur in subiecto capaci, beatitudo formalis, quoniam non est per se formaliter exercitium vitale ullius potentiae animae; aliàs natura irrationalis foret formaliter beata beatitudine, de qua nunc, si assumeretur à persona Divina, ut multi Theologi putant assumi posse, & defacto assumptas fuisse à Spiritu sancto aviculas, oblatas in purificatione à Deipara, putabat Origenes, & insinuat Tertullianus de Columba, quae super Jordanem apparuit.

Origenes
 Hom. 14. in
 Lucam
 Tertull. de
 Carne
 Christi.

X. Hinc secundò. Homo ardens vivus corpore & anima infernalibus sulphuribus (quod, ut vides non est possibile in hac providentia) beatus tamen foret, si visione, ac fruitione praedictis gauderet: Tum, quia si homo in extasin raptus, ubi tandem tandem non plus quam ænigmaticè agnoscit DEUM, ita absorbetur illa contemplatione, ac dulcedine, ut nequè ignem, nequè ferrum sentiat, quanto magis insensibilis redderetur, si visione clara, & amore beatifico frueretur; Tum quia tamen cruciatus illos sentiret, sicut Christus Dominus sentiebat sacrosancti sui corporis tormenta; Verumtamen sciens id velle DEUM, quem, qualis, & quantus sit, agnoscebat, dulcissimè arderet, & beatus esse non desineret, sicut Christi Domini humanitas in majore suo agone non desinebat esse beata formaliter; ergo beatitudo formalis ultra tria dicta non constituitur per carentiam cruciatuum, siquidem omnes isti non sunt tantæ felicitatis contrapondium. Sin verò volueris, dicito, in tribus dictis consistere formaliter beatitudinem formalem animæ solius, non autem totius hominis quoad animam, & corpus.

XI. Hinc tertio. Minimus beatorum adutorum experienciâ sciens, quam pretiosa sit beatitudo, & sociis suis multò majorem portionem obtigisse, quae ipse æternum carebit, & quam ipse quoque haberet, si accuratius laborasset in hac vita, est nihilominus formaliter felix, & beatus, & quietus abs-

R. P. de tilloa, Theol. Tom. 1.

quæ invidia; anxietatisve impulsibus: nempe quia beatitudine simpliciter ac verè supernaturali fruens, videt DEUM, quem ardentissimè amat, & miratur, & cui plenissimè subditur, ita prædestinationis seriem disposuisse, ut ei minor illa beatitudinis portio contingeret, & eam mavult ex hypothese divinæ voluntatis, quam totam aliorum beatitudinem, præscindendo à Divina voluntate, adde intimam unionem charitatis, quæ inter se colligantur beati omnes. Dicta autem conformitas cum Divina voluntate, dicta quies in centro, seu tranquillitas animi non est aliud quidam tertius actus distinctus ab amore, & fruitione beatifica; nam sic multiplicarentur plus justò constitutiva beatitudinis formalis; sed est amor ipse, & fruitio beatifica, quæ per se formaliter est affectiva conjunctio cum DEO, & consequenter per se formaliter, est resignatio in Divinam voluntatem; & quamvis homo vel non videns DEUM, vel videns, sed non amans amore illo beatifico posset utcumque habere hanc resignationem, & quietem, sed tamen non esset beatus formaliter, quia sicut non quævis cognitio DEI, sed illa in specie, quæ est intuitiva, dicitur à nobis beatitudo formalis; ita non quævis, ut jam monui, resignatio, tranquillitas, seu jucunditas constituit beatitudinem formalem, sed illa determinatè, & in specie, quæ est amor beatificus, id est ex beatifica visione oriundus.

XII. Hinc quartò. Quando audio multa testimonia Scripturæ, ac P. P. quæ procedentia de beatitudine formali, duntaxat meminerunt visionis beatificæ, v.g. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum. Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. Angeli eorum semper vident faciem, &c.* Videmus nunc per 1. ad Cor. 13 speculum, tunc autem facie ad faciem. Cum 1. Joan. 3 apparuerit similis ei, &c. Et multa alia maxime August. in Psalm. 85. & 90. & lib. 22. de Civit. cap. 29. & lib. 10. de Trinit. cap. 7. & 8. (quæ pleraquæ testimonia parum efficacia putat vel ipse Vasquez 1. 2. Disp. 11. cap. 3. Quamvis acerrimè defendat ibidem beatitudinem formalem stare in sola visione DEI; quando inquam hos textus audio, respondeo. Aliud est,

est,

H h

est, quod isti textus meminerint solius visionis, aliud, quod doceant beatitudinem formalem consistere in sola visione. Hoc non docent, & de hoc est questio. Primum est verum, sed non contra nos, quia licet deberent explicare omnia constitutiva beatitudinis formalis, si Scripturæ, & P.P. hanc questionem scholasticam sibi proponerent *quæ sint constitutiva essentialia beatitudinis formalis*, non tamen est necesse, quod omnia semper, & ubilibet proponant, quando loquuntur de beatitudine: Sic frequentes sunt textus tribuentes justificationem, Fidei, eleemosynisque, & tamen est certum quod ad justificationem neutra sola sufficit. Item multi sunt textus innuentes amorem Dei super omnia sanctificare hominem, & tamen plerique Theologi judicant actum charitatis non esse formam sanctificantem.

Trident.
de peccato
Orig.

XIII. Ratio autem est, tum quia juxta usitatum modum loquendi, quod trahit secum aliud, solet dici illud aliud, unde fomes peccati, & habitus vitiosi solent vocari peccatum. At visio beatifica est formaliter una pars beatitudinis, & intimè trahit secum alteram scilicet fruitionem beatificam; ergo juxta usitatum modum loquendi potest dici beatitudo formalis; Tum quia textus isti non loquuntur de visione DEI, ut *Veri* solum, & consequenter de visione arida, sicca, & merè speculativa; nam beatitudo formalis adæquatè sumpta, debet esse tranquillitas etiam voluntatis, ne hæc jejuna maneat, & possessio DEI etiam ut *Boni*. Ergo scripturæ illæ loquuntur de visione, ut beatificante; ergo ut conjuncta cum fruitione DEI; Undè solvitur argumentum Esparza tom. 1. lib. 3. qu. 3. agentis. Causales priorum textuum fore inadæquatas, & insufficientes, si beatitudo formalis non consisteret in sola visione; negatur sequela; nam cum visio trahat secum alteram comparrem beatitudinis, hæc bene potest probari per illam.

XIV. Audio similiter multos textus, innuentes beatitudinem formalem consistere in gaudio, seu fruitione v. g. *Matth. 25. Intra in gaudium Domini tui. Ut gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.*

Gaudium vestrum nemo, &c. Responderetur similiter non semper ac scripti; & P.P. dicunt, quod contingit, dicunt omne, quod contingit, & multò minùs descendunt ad explicandum scholasticè, & singillatim omnia, & singula constitutiva rerum. Quare aliquando, & alicubi dicunt una, aliquando, & alicubi alia: capita namque sacrorum librorum non sunt tractatus, aut disput. scholarum, cumque in beatitudine formali detur visio DEI, gaudium, fruitio, amor, aliquando meminerunt unum, aliquando alterum, prout res poscebat. Num quoties scripturæ loquuntur de Christo Domino explicant minutatim prædicatum animalis, & prædicatum rationalis, partem corpoream, partem spirituales? Alicubi fit mentio de solo corpore, & hoc non tollit, quod Christus Dominus intrinsicè constituatur per animam, aliquando de sola anima, & hoc non tollit, quod constituatur per corpus.

XV. Hinc demum solvitur argumentum agentium, beatitudinem formalem non posse consistere inadæquatè in amore DEI, siquidem hoc potest inveniri etiam in viatore; Jam dixi num. 9. quisnam sit amor beatificus, & ille certè non potest convenire viatori, qui talis sit in ordine ad beatitudinem essentialem; præterquam quod non esset magnum absurdum, quod viatori competere id, quod non est beatitudo, sed una duntaxat pars beatitudinis. Addunt contrarii, beatitudinem stare in plena, & perfecta possessione DEI; & hanc esse solam visionem. Distinguo, ut supra in possessione arida, & merè speculativa qualis est mera intuitio nego; in possessione practica, & satisfaciente intellectui, ac voluntati, qualis non est mera intuitio concedo.

XVI. Objic: Duas rationes objici solitas contra Scotum: P.^a amor secundum se, ac suaptè natura fertur tam in absentem, quam in præsentem, ut patet; sed beatitudo debet ferri, & debet esse circa rem præsentem; ergo, &c. Secundo Amor in via, id est conceptus ab ænigmate Fidei, est ejusdem speciei, atque amor in Patria, conceptus ex clara vi-

ra visione DEI, sed ille quamvis perpetuus non beatificaret adhuc inadæquatè: Ergo nequè iste: Imprimis hæc duo argumenta ad summum probant, beatitudinem formalem non consistere in solo amore; at non probant non consistere in complexo ex amore, & visione intuitiva, quæ jam fertur in rem ut præsentem: Deinde ad primum dico, illud probare beatitudinem formalem non constitui per amorem DEI secundum solum, & præcisum conceptum amoris in genere (quoties inter disputandum committitur hoc vitium, ultro citroquè commendi à nostris præcisionibus ad realitates, & viceversa!) Sicut neque homo constituitur animâ secundum merum, & præcisum conceptum Spiritus; ast non probare, non constitui per amorem illum determinatum, qui est in Patria, quoniam ille, ut est à parte rei, quidquid sit de præcisionibus Logicorum, ex sua essentia fertur in DEUM ut intimè præsentem, id est, ut clarè visum.

XVII. Ad 2. distinguo maiorem. Est ejusdem speciei quoad objectum materiale, & formale concedo: Nam idem individuus DEUS amatur utrobiquè, & ob eandem individuum bonitatem, quod etiam coniungit amori, quo DEUS se amat, & tamen non est ejusdem speciei cum nostro, absolute loquendo, quoad cætera omnia nego: Quoniam licet cognitio objecti non sit causa efficiens amoris, est indispensabiliter prærequisita ad illum; ergo amor beatificus essentialiter prærequirit claram visionem DEI, & amor in via cognitionem obscuram ejusdem. Sed hæc duæ cognitiones specie etiam Theologica differunt; ergo isti duo amores essentialiter prærequirunt principia physica, aut moralia, quæ in specie Theologica distinguuntur; Ergo ipsi amores absolute, ac omnibus pensatis differunt in specie Theologica, & aliàs quidem, si sola convenientia in objecto materiali, & formali sufficeret, ut essent absolute, & simpliciter ejusdem speciei, sequeretur amorem nostrum & Divinum, ejusdem esse speciei Theologicae, quandoquidem idem DEUS, & eadem ejusdem bonitas est objectum materiale, & formale charitatis qua diligimus ipsum, & qua dili-

gitur à seipso; quod autem ex causis speciei diversis possit nasci idem effectus, est verum, quando effectus non magis prærequirit unam, quam alteram, ut calor, qui non magis connectitur cum igne, quam cum luce, ut principio. Amor autem beatificus non potest nasci ex obscura cognitione Fidei, sed determinatè ac essentialiter est ex clara, & intuitiva; amor autem in via non potest nasci ex hac, sed determinatè ex illa. Quod si dixeris, hos duos amores tantum distinguui penes magis, & minus. Respondedo, quod distinguuntur penes magis, & minus, sicut intellectivitas animæ nostræ, & Angelorum; quod est tale magis & minus, ut differant speciei; Unde adagium illud: *Magis, & minus non mutant speciem*, aliquando est verum, aliquando non, ut cætera adagia.

XVIII. Sed objic: rationem à priori P. Vasquez, quam loco citato corroboret cap. 7. Beatitudo formalis stat in sola perfectione cognoscendi, seu possidendi, id est in sola adeptione nostri ultimi finis: At sola visio est hujusmodi adeptio; nam alii actus sive amoris, sive fruitionis, sive gaudii supponunt ultimum finem, ut jam possessum per visionem beatificam: Ergo, &c. Dist. majorem. In sola possessione arida, & mere speculativa nostri ultimi finis, atque ut *veri* tantum, quâ intellectus solus beatur, nego: (quoniam hæc erit beatitudo formalis intellectus solius, qui ut talis ad aliud aspirare non potest, nisi ad cognitionem primæ, & ultimæ veritatis; sed non voluntatis, ut talis, unde illa erit beatitudo formalis inadæquata solum animæ, sed non plena, & adæquata, quandoquidem ex vi præcisè illius, voluntas, quæ tanta portio animæ est, jejuna manet in possessione practica nostri ultimi finis) stat in possessione, quâ anima tota plenè ac adæquatè possideat DEUM ut *verum*, ac etiam ut *bonum* concedo: Quoniam scriptum est Psal. 62. *Quasi adipe, & pinguedine repleatur anima mea*: Et 64. *Replebimur bonis Domus tuæ*, & aliàs ea possessio erit beatitudo, & felicitas mere partialis: Atqui possessio plenè beans totam animam Deumque possidens ut *verum* atque ut *bonum* non minus dicit actum

voluntatis, quam intellectus, siquidem anima, ut rationalis Spiritus, non minus fungitur voluntate, quam intellectu; ergo, &c. Mirum quidem est autores istos apprehendere statum animæ plenè ac totaliter quietum, atque fœlicem, præscindendo mentaliter à quiete, & fœlicitate voluntatis. Cur autem aliarum potentiarum operationes non constituent beatitudinem formalem, jam dixi supra.

XIX. Fateor beatitudinem formalem primariè dicere visionem, utpotè priorem, & radicem fruitionis voluntatis: Et sic intelligendus D. Thomas 1. parte, qu. 26. articulo secundo, ubi dicit. Cujuslibet intellectualis naturæ beatitudo consistit in intelligendo; nempe quia intellectio est origo: Sed hoc non tollit, quod etiam consistat in actu voluntatis, sicut materiam primam esse priorem formâ materiali non obstat quo minus compositum ex utraque resultans, per utramque constituatur; Unde merito S. Doctor inquit: *Intellectualis naturæ*; nam attentâ solâ intellectualitate, verum est, quod non datur alia felicitas, quam intelligere: & attento DEO præcisè ut *Vero* non datur alia ipsius possessio quàm intuitio; sed attendendus insuper est ut *bonus*, & attendenda insuper est voluntas. Et beatitudo hujus, ut talis non est intelligere, sed frui, & amare. Dico autem semper intellectum, ut talem, voluntatem, ut talem, nè recurras ad materiale identitatem amborum. Instabis cum Elparfâ. Essentia in unoquoque est primum ejus discretivum ab omnibus aliis, quodquæ simul est radix eorum omnium, quæ insunt eidem: At utrumquæ convenit soli visioni in beatitudine formali: ergo, &c. major, ut jacet, est falsa: Si sermo sit de tota, & adæquata essentia, alias nec materia prima foret de essentia physica compositi nec animal de essentia metaphysica hominis, siquidem neutrum est primum distinctivum physicum, aut metaphysicum. Deinde dist: min: In Beatitudine formali inadæquata animæ, & adæquata intellectus solius concedo. Plena, & adæquata animæ, id est intellectus, & voluntatis nego: Nam in hac prædicatum, quod est radix cate-

rorum est hoc. Possessio ultimi finis, ut veri, atque boni; possessio autem hæc resultat non solum ex actu quo intellectus possidet DEUM, sed etiam ex eo, quo possidet voluntas. Sicut abstractum hoc *Humanitas* resultat non solum ex anima, sed etiam ex corpore. Probo jam beatitudinem formalem constitui insuper reflexâ beatitudine suæ perpetuitatis (esse enim à parte rei æternam est de Fide apud Matth: *Ibunt in supplicium æternum, Multi. Iusti autem in vitam æternam*, & passim alibi in scripturis) quod quidem non latuit Aristotelis mentem, qui scribit. *Ver nec una facit hirundo, nec unus dies; & beatum hominem eodem modo nec ullus dies, nec breve ullum efficit tempus.*

XX. Probatur autoritate notâ S. August: qui de Beatorum vita concludit, *quæ beatissima esse non poterit, nisi de sua suæ eternitate certissima: Non enim beata erit, nisi secunda, cui consonat S. Thomas 1. p. qu. 64. art. 2. inquit: Stabilis sempiterna est de ratione veræ beatitudinis*, & clarius 2. 2. qu. 18. art. 3. *Requiritur ad veram beatitudinem, ut aliquis certus sit de sua beatitudinis perpetuitate*, alioquin voluntas non quietaretur. Et ratio est: Si beatitudo formalis sumpta quidditative, intensive, & quoad essentialia (oportet colligere hæc verba, quia per hos hiatus elabi solent adversarii) confisteret in sola visione DEI, aut in solis visione, & fruitione, omnis casus possibilis, in quo darentur hæc, esset casus, in quo daretur beatitudo formalis sumpta quidditative, intensive, & quoad essentialia. Repugnat enim existere omnia penitus constitutiva, ut talia, cujuspiam rei nullo dempto, & non existere illam rem. At non omnis casus possibilis, in quo illa existant, est casus, in quo detur illa beatitudo illo modo sumpta. Probatur; eo ipso quod detur dubium, & ambiguitas; num illa fœlicitas brevi finienda sit, num iterum redeundum ad pristinas sordes; eo inquam ipso, quod detur hoc dubium, non datur beatitudo formalis intensive, quidditative, & quoad essentialia, quoniam hæc per se formaliter arceat omnem metum, angorem, & animi inquietudinem, sive fluctuationem. At possibile est, quod detur visio dicta, & fruitio simul cum du-

dubio, & ambiguitate dictis, imo cum certitudine redeundi ad ergastulum v.g. Si homo intueretur, in divino verbo, se per unum solum annum fruiturum ea felicitate (cedo contradictoria) unde esset postea major infelicitas; nimirum scivisse, quid sit felicitas illa, & illà orbari, possetque dicere homo ille *elevans alligasti me*; Ergo non omnis casus possibilis, in quo dentur ea visio & fructio est casus in quo detur beatitudo formalis intensivè, quidditivè, & quoad essentialia, quidquid sit, an detur tunc beatitudo aliqua secundum quid; Ergo beatitudo formalis eo modo sumpta non consistit in eis duobus solis: Ergo aliquid aliud importat constitutivè, & non tantum de connotato, sive in recto, sive in obliquo; sed hoc aliud non potest esse, nisi exclusio prædicti dubii, & ambiguitatis, nam contrà quodvis aliud instruam idem argumentum; ergo beatitudo formalis sumpta quidditivè, intensivè, & quoad essentialia, importat non de connotato, sed constitutivè, sive in recto, sive in obliquo exclusionem dubii prædicti.

XXI. Tum sic; Ergo primò jam habemus Beatitudinem formalem simpliciter talem, & non merè secundum quid, non consistere in sola visione Dei, nec in solo complexo ex visione, & fructione: Ergo secundò, cum dubium sit conceptus quidam copulativus dicens apprehensionem aliquam rei (nequimus enim dubitare illud idem, quod in mentem non venit) nec non carentiam judicii affirmativi, & carentiam judicii negativi, necesse est, quod si beatitudo formalis intensivè, & quoad essentialia importat constitutivè exclusionem prædicti dubii, importet constitutivè, aut carentiam omnis cognitionis circa perpetuitatem visionis, & fructiōis beatificæ, aut exclusionem alterutrius carentiæ, dictæ; sed non importat constitutivè carentiam omnis omnino cognitionis circa perpetuitatem, nec exclusionem carentiæ judicii negantis perpetuitatem: Ergo restat, quod importet constitutivè exclusionem carentiæ judicii affirmantis perpetuitatem. Sed exclusio carentiæ judicii affirmantis perpetuitatem est judicium ipsum perpetuitatem affirmans, quandoquidem exclusio

H h 3

formalis, & immediata carentiæ rei cuiuslibet est res ipsa: Ergo de primo ad ultimum, beatitudo formalis non secundum quid, sed absolute & simpliciter talis, tametsi sumatur quidditivè, intensivè, ac secundum mera essentialia, importat constitutivè judicium, & quidem non ambiguum, & formidolosum, nam redibit argumentum jam factum, sed certum de perpetuitate visionis, ac fructiōis. Ultima minor habet duas partes, una est, quod beatitudo dicta non importat constitutivè exclusionem carentiæ judicii negantis perpetuitatem, & est certa: nam cum exclusio ejus carentiæ sit judicium ipsum perpetuitatem negans, si beatitudo formalis constitueretur per exclusionem ejus carentiæ, haberemus, quod beatitudo formalis intensivè, & quoad essentialia constitueretur per judicium de eo, quod felicitas illa non sit perpetua. Quod esset res mira. Altera pars erat, quod non importat constitutivè carentiam omnis penitus cognitionis circa perpetuitatem, & etiam est certa, qua enim ratione dici potest, non posse animam esse absolute, & simpliciter beatam formaliter, quin habeat omnimodam ignorantiam æternitatis beatitudinis, suæ ita ut simul, ac, & ubi primum occurrat hæc apprehensio. *Æternitas hujus status subito cesset beatitudo formalis!* Exotica res esset, beatitudinem formalem constitui per carentiam omnis advertentiæ circa perpetuitatem, & non potius per certitudinem perpetuitatis ipsius.

XXII. Quod si dixeris neminem posse constitui beatum formaliter per visionem alius rei distinctæ à summo bono, qualis est perpetuitas visionis, & fructiōis beatificæ. In primis dico, certitudinem reflexam perpetuitatis constituentem beatitudinem formalem non esse visionem illius perpetuitatis, cum enim visiones, ac fructiōes, quas habitura est anima Beata sint successivæ, inde est, quod non existunt omnes simul de præseni; Ergo certitudo, quæ modo habet de illis anima beata, non esset visio intuitiva illarum, siquidem non tendit in objectum, ut præsens. Rursus ea certitudo non fundatur in visione ipsa individua, qua Beatus fruitur

in

in hoc instanti A, quia hæc per se essentialiter non connectitur cum aliis sibi succedentibus; poterat quippè hæc individua visio concedi à DEO ad tempus finitum; Fundatur ergo in notitia evidente, quam habet Beatus, decreti irrevocabilis divini conservandi illum semper in eo felici statu, quod decretum etiam agnovit Beatus adultus per Fidem in hac vita. Deinde dico, quod licet solum summum bonum sit capax beatitudinis creaturam rationalem, solum inquam solitudine excludente notitiam certam alius rei, non tamen excludente notitiam certam de aeterna perpetuitate possessionis ipsius summi boni. Et hoc propter rationem conclusionis nostræ; Si enim summum bonum ad breve tempus possideretur, hæc possessio non foret beatitudo formalis absolute talis, sed tantum secundum quid, & apta nata ad reddendum hominem postea magis infelicem seu mæstum, ob amissum nectar, & ambrosiam, quam semel gustaverat, & jam non haberet.

CAPUT III.

Uerior rei Explicatio.

XXIII. **H**inc primò. Beatitudo formalis non constituitur perpetuitate ipsa objectivâ; nam cum hæc constet visionibus, & fruitionibus successivis impotens est, ut tota existat simul in eodem instanti, undè sequeretur, beatos nunquam esse absolute & simpliciter beatos. Constituitur ergo notitiâ certâ perpetuitatis, quæ notitia par est sedando & beatificando animam. Secundò sicut non esset absolute & simpliciter damnatus, & infelix, qui in inferno speraret evadere è carcere illo; ita non esset absolute, & simpliciter beatus, sed tantum secundum quid, ille, qui per tempus definitum frueretur visione, & amore beatificis cum timore, aut certitudine cadendi à tanta felicitate: Quare si verum est, quod Moyles fruitus est visione beatificâ, ut indicare videntur verba illa, quibus corripuit DEUS invidos Fratres: *Ore enim ad os lo-*

Num. 12.

quor ei, & palam, & non per ængmata, & figuras Dominum videt, quod tamen non ita intelligendum juxta corticem verborum, cum aperte ei dixerit DEUS

Exod. 23. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* Item si verum est S. Paulum in suo raptu, S. Benedictum, aliumve viatorem à Christo & Matre distinctum, gavisum esse eo privilegio (quod tamen verum non est, cum semel, & iterum negetur à S. Joanne tum cap. 1. Evang. tum ep. 1. cap. 4. *DEUM nemo vidit unquam, eo quod, lucem inhabitat inaccessibilem*, ut testatur ipse Paulus 1. ad Timot. 6. Ob quæ clariora testimonia debent intelligi illa prima non de visione absolute tali, sed de specialissima contemplatione longe superante alias ordinarias, & quæ hac de causâ per exagesim satis usitatam in scriptura, & in communi modo loquendi, vocari potest visio intuitiva) si inquam illa vera sunt, non idcirco dicendi sunt Moyse, aut Paulus fuisse beati absolute, & simpliciter; sed tantum secundum quid, cum postea redierint ad tenebras, & ængmata hujus vitæ.

XXIV. Hinc tertio est disparitas ad alias felicitates v.g. Esse Regem, esse Sanctum, esse Divitem. Ratione enim quam produxi ad probandum beatitudinem formalem absolute, & simpliciter talem constitui per certitudinem suæ perpetuitatis id est per carentiam omnis anxietatis circa durationem illius, nequibus uti ad probandum sanctitatem Divitias, Regiam Majestatem, &c. constitui aut perpetuitate, aut perpetuitatis notitiâ: Sed objic: Beatitudo formalis sumpta intensive, ac quoad essentialia, non potest constitui, nisi per actum, vel per actus immediate, atque directe in summum ipsum bonum tendentes, ut dixi: Ergo si constituitur per reflexam certitudinem de sua perpetuitate, necesse est quod hæc reflexa certitudo immediate, ac directe in DEUM ipsum tendat; sed non quatenus sit amor illius, ut patet; ergo quatenus sit illius cognitio, & quidem non abstractiva, sed intuitiva; Ergo ipsa visio intuitiva DEI est reflexa certitudo de sua perpetuitate; sed visio hæc utpote infallibilis connectitur metaphysicè cum sua veritate: Ergo hæc visio est Metaphysicè connexa cum sua aeternitate: Ergo est metaphysicè, ac essentialiter indestruibilis per DEUM: Quam consequentiam licet